



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

XII. De celebratione missarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

mitteretur a clero , seu iret occasione cleri , sex solidos Bononienses pro qualibet competenti eis dieta taxamus.

R V B R I C A XII.

Etsi , Propheta testante , doceamur psallere Deo , & singulis horis psallere sapienter , multo fortius hoc debemus attendere , quando missa præser-tim solenniter celebratur , vbi angelicæ hierarchiæ inuocantur , & in tali tanto mysterio , vt sancti te-stantur , assistunt , debemus voce , spiritu , & mente psallere humiliter & deuote . Cum igitur missa in aliqua ecclesia nostræ prouinciæ in nota cele-bratur , debent omnes maxime sacerdotes & cle-ri ci in ecclesia ipsa , quantum possunt , assistere ce-lebranti , ac omnis clamor , strepitus & tumultus in eadem ecclesia conquiescere . Quidam vero non debito modo considerantes , prædictam missam quæ in nota cantatur , irreuerenter prætereunt , de sacris induere , missas vno concursu cum sacer-do-te celebrare volentes , ex quo populorum concur-sus ac pedum strepitus per ecclesiam fit cum quodam sonoro clamore : & sic missa quæ celebra-tur in nota , per indirectum quodammodo impe-ditur , seu minus deuote attenditur . Volentes igitur huic indiscreto actui necessariam adhibere medelam , sacro approbante Concilio , mone-mus omnes sacerdotes tam fæculares , quam regu-lares nostræ prouinciæ , atque statuimus , quatenus cum missa celebratur in nota in aliqua eccl-e-sia , nullus alias sacerdos missam celebret in eadem , donec missa præfata fuerit plene completa . Qui

<sup>ANNO CHRISTI
1317.</sup> autem contra fecerit , sui ordinarii arbitrio puniatur , ac durius increpetur : pœnas etiam contra inobedientes latas merito poterit formidare.

R V B R I C A XIII.

Quia nonnulli abbates , priores , præpositi , archipresbyteri , & alii ecclesiarum inferiores prælati , prout est huic sacro Concilio intimatum , contra rectores & clericos ecclesiarum subiectarum prælatis eisdem , ordinario iure , inquisitiones formant , accusations admittunt , ac ad priuationem & pœnas alias procedere non verentur ; & per hoc , tam iuri communi , quam pontificali dignitati plurimum detrahunt ; statuimus præsentis auctoritate Concilii , quod nullus abbas , prior , præpositus , archipresbyter , seu aliis prælatus inferior episcopo , contra rectores seu clericos ecclesiarum subiectarum eisdem inquisitionem formare , accusationem admittere , vel ad priuationem procedere quoquo modo præsumant . Decernentes irritum & inane quidquid contra hoc statutum per talem fuerit attentatum , nisi de speciali priuilegio , vel consuetudine legitime præscripta , eis hoc competere dignoscatur . Ordo namque ecclesiasticus confusione pateret , si pontificalis iurisdictio non seruaretur .

R V B R I C A XIV.

Quamquam Iudæi per ecclesiam tolerentur , non tamen debent in fidelium detrimentum , seu graue dispendium , tolerari : quod sæpius Christianis accidit , pro gratia contumeliam , & pro familiaritate contemptum reddendo . Ideoque olim